

rum, (wie sie dieselben listiger weise, damit sie es drehen und lenken können, wie sie wollen, zu nennen pflegen) enthalten, und nicht solche Reden gebrauchen, damit die Menschheit oder menschliche Natur Christi genennet und ausgesprochen wird? Special-Wiederlegung der Cassel-Schriften p. 715.

§. IX. Nulla itaque ratione suffecerit cordato, si utrinque vel maxime saltem doceatur, *Christum Deum & Hominem omniscium, omnipotentem, omnipraesentem & adorandum esse*. Nam non soli in hanc formulam tornatam consentirent Reformati, verum etiam Eutyches & Nestorius ipse, & qui non praeterea, quos tamen a nostris praesepibus arcemus. Per hanc formulam secundum genus Communicationis Idiomatum, quod Majesticum recte dicitur, non saltem supprimeretur, verum prorsus exscinderetur, in quo tamen maximam solatii partem reponit Scriptura, quod *Caro Christi sit cibus animae nostrae, sit vivifica*, Joh. IV, 52. quod *Christus secundum humanam naturam vere & realiter sit omnipraesens, omniscius & omnipotens*, Matth. XXVIII, 18. 20. Nam si in divinae solius, cui originaliter & formaliter competit, majestate, quatenus ejus est solius, recumbere debuisset spes nostra, nulla opus fuisset incarnatione, unione, communione & communicatione, quae tamen omnia facta esse ad salutem nostram, testatur Spiritus S. Gal. IV, 4. 5. Gravia sunt verba JACOBI ANDREAE Bezae opposita: *In Communicatione summa consolatio piis mentibus reposita est. Etsi enim absoluta DEI potentia infinita, nobis in calamitatibus, adeoque in summis temptationibus, sufficeret: ea tamen absque mediatore formidabilis est. Quando autem afflita, summe perturbata, & hostibus propemodum oppressa conscientia cogitat, in manu hominis potestatem coeli & terrae positam esse, qui sit frater, redemptor, salvator & opitulator noster in omnibus tribulationibus, tum majorem fiduciam capit, & se liberatum iri nihil dubitat.* Colloqu. Mompelg. p. 233. Male itaque sic consultum esset Ecclesiae nostrae, quae a praesidio tanto veritatis cœlestis dejecta sic colludendum sibi vide-

E

ret